

HEPAR ANTIMONII.

℞. Antimonii crudi.

Nitri ana libr. j.

Seorsim in pulverem trita mixtaque accurate in crucibulo candenti detonent, injiciendo per vices. Et fervetur massa.

Hæc cum aquæ sufficienti quantitate debite abluta, & exsiccata dicitur

CROCUS METALLORUM.

HEPAR SULPHURIS.

℞. Sulphuris part. ij.

Salis alcalini fixi puri part. j.

Mixta injiciantur in crucibulum, ut fluant in igne diutius. Probe unita massa, dum scilicet colorem hepaticum nacta est, atque odorem ovorum putridorum spirat, eximatur, & frigefacta illico indatur vitro exacte claudendo.

INFUSUM *sive* AQUA ANGELICA.

℞. Cremoris Tartari dr. ij.

Solvantur in

Aquæ bullientis unc. viij.

In ipsa ebullitione adjiciendo

Mannæ electæ unc. ij.

Salis polychrest. dr. ij.

His tandem solutis adde

Succi Citri recenter expressi. unc. j.

Cortic. Citr. recent. dr. ij.

Stent in vase clauso per quadrantem horæ.

Clarificatum dein albumine ovi, & per chartam emporeticam calide filtratum exhibeatur.

INFUSUM *sive* AQUA LAXATIVA.

℞. Foliorum Sennæ dr. vj.

Cremoris Tartari dr. j.

Seminis anisi stellati leviter contusi dr. β.

Mista infundantur cum

Aquæ fervidæ s. q.

Stent per quadrantem horæ; dein ebulliant aliquantulum, ut colatura fortiter expressa sit unciarum sex, in qua solve

Mannæ electæ unc. ij.

Demum clarificatum ac colatum exhibeatur.

INFU-

INFUSUM LAXATIVUM ALIUD

vulgo

HYDROMEL INFANTUM.

℞. Foliorum Sennæ unc. iβ.

Radiciſ Ireos florentinæ.

Liquiritiæ.

Paſſularum majorum.

Caricarum ana unc. j.

Aniſi ſtellati dr. j.

Infunde in ſufficienti quantitate aquæ fervidæ per horam, dein ebulliat parumper, ut colatura fit libræ unius, in qua ſolve

Sacchari albi unc. ij.

Et clarificatum exhibe.

INFUSUM ſeu SANGUIS

CICHOREI SIMPLEX.

℞. Herbæ Cichorei unc. β.

Salis Tartari gran. xv.

Infunde per noctem in

Aquæ ebullientis unc. iv.

Dein forti expreſſione coletur, & exhibetur.

N 3

In

In ipsa infusione si addantur

Rhei electi scrup. ij.

Habetur idem INFUSUM CUM RHABAR-
BARO dictum.

INFUSUM ROSARUM.

℞. Florum Rosarum pallidarum recentium
libr. vj.

Adfundantur

Aquæ fontanæ bullientis libr. xij.

Stent per viginti quatuor horas in infusio-
ne, dein colatura fortiter expressa infundatur
eodem modo supra novos flores, idque ter-
tia vice repetatur. Colatura demum ultima
fervetur in lagenis angustioris colli, superaf-
fuso oleo.

INFUSUM *ſeu* TINCTURA

PAPAVERIS ERRATICI.

℞. Florum Papaveris erratici unc. iß.

Irrorentur

Spiritus Vitrioli gtt. xv.

Adde

Sacchari canarini unc. j.

Et

Et infunde cum
 Aquæ florum Papaveris Rhoeados ferven-
 tis libr. j.
 Infusum frigefactum coletur, & exhibeatur.

KERMES MINERALE

sive

PULVIS CARTHUSIANORUM.

℞. Antimonii crudi in frusta minora comminu-
 ti quantum vis.

Injice in fartaginem ferream.

Adde quadruplum circiter salis Tartari,
 & aquæ communis sufficientem quantitatem;
 ebulliant simul per tres aut quatuor horas.
 Dein fervidus liquor per chartam emporeti-
 cam filtretur, ubi ex eodem refrigerato ad
 fundum secedet levis ex rufo badius pulvis,
 qui aqua pura aliquoties abluendus, leniter
 exsiccandus, & servandus est. Liquor a fil-
 tratione restans residuo in fartagine adfundatur
 antimonio iterumque coquatur, ac de reli-
 quo, ut in priori labore, procedatur. Hic
 labor cum eodem antimonio multoties iterari
 potest, adfusa, dum deficit, nova aqua, &

N 4

post